

In Aposto-latus culmine

Bula de fundación de la Universidad de Santo Domingo (Isla Española), en el Convento de los dominicos.

1538, octubre, 28

Expedida por Pauto III



**1538, octubre, 28.
Roma. Bula de fundación de la Universidad de Santo Domingo (Isla Española), en el convento de los dominicos, expedida por Pauto III. Paulus episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam. In Aposto-latus culmine, disponente Domino, meritis licet imparibus constituti, ac gratos Deo, et Republicae christianae fructus, qui ex literarum studio provenire noscuntur, intra nos-tri cordis arcana revolventes, ad**

ea, per quae singulis fidelibus etiam Religiosis sub regulari observantia Altissimo famulantibus, eorum Praelatis id maxime requirentibus, ut studo hujusmodi insistendo, laborum suorum honores, et praemia consequi valeant, opportune consulitur, libenter intendimus, et in his partes Apostolicae providentiae, prout id in Domino conspicimus salubriter expedire, favorabiliter impartimur. Sane pro parte dilectorum filiorum Magistri Provincialis Provinciae Sanctae Crucis nuncupatae secundum morem Ordinis Fratrum Praedicatorum, ac Prioris, et Fratrum domus Sancti Dominici, Civitatis etiam, Sancti Dominici, dicti Ordinis Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias ipsi, attendentes quod habitatores Insularum Maris Oceani, in quibus dicta Civitas consistit, infideles existebant, et idola colebant, unde cupientes infidelitatem hujusmodi radicitus extirpare, ac arbores inibi fructiferas plantare, ipsorumque infidelium Civitatem praedicationibus, et vitae exemplo illuminare, innumerabiles utriusque sexus personas ex eisdem habitatoribus sub lavacro regene. rationis ad christianae Religionis cultum mediante divina gratia direxerunt, ac ad fidem catholicam converti procurarunt, et a tempore

conversionis hujusmodi citra inibi Verbum Dei incessanter praedicando uberrimos in agro Domini fructus collegerunt.

Et si in dicta Civitate, quae admodum insignis existit, et in regione valde remota, ac sacrarum literarum prorsus ignara consistit, et ad quam ex circumvicinis Insulis hominum multitudo copiosa, tam inibi habitando, quam negotiandi causa confluere solet, et in qua studium apostolica auctoritate noviter erectum viget generales pro directione dicti studii, quod caret privilegiis et indultis Apostolicis sufficientibus ad promociones graduum concedi solitorum in Universitatibus studiorum Generalium Regnorum Hispaniae, quibus dictae Insulae subesse noscuntur, similis universitas Generalis Doctorum, Magistrorum et Scholarium cum sigillo, et arca, aliisque solitis insigniis, praeeminentiis, libertatibus, exemptionibus et immunitatibus ad instar oppidi de Alcala, Toletanae Diocesis, aliarum Universitatum praedictarum perpetuo erigeretur, et institueretur ex hoc profecto dicta Civitas multiplicatis propterea illius habitatoribus per amplius decoraretur, ac illius, et dictarum Insularum incolae, et habitatores, in Religione Christiana ferventius instruerentur, ipsique Provincialis, ac Prior, et Fratres ad majora virtutum, et caritatis opera impendendum promptius invitarentur, eorumque honoribus, et commoditatibus quamplurimum consuleretur. Quare pro parte Provincialis, Prioris, et Fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut in eadem Civitate unam similem Universitatem doctorum, Magistrorum, et Scholarium ad instar dictae Universitatis de Alcala, ut praefertur, quae per unum Regentem, seu Rectorem, nuncupandum, regi, et gubernari debeat, perpetuo erigere, et instituere, quodque illius pro tempore scholares, tam seculares, quam Ordinum quorumcumque Regulares, etiam undequaque venientes, inibi in quacumque, licetiam tamen, literarum facultate, eorum cursibus peractis, aliasque servatis servandis, prout moris est, in aliis Universitatibus praedictis, ad Baccalauratus, et licentiam debito centiae, ac Doctoratus, et Magisterii solitos gradus hujusmodi, praevio examine, et assistentibus ibidem quatuor in eadem facultate Doctoribus, per Priorem praefatum, ac dictae Universitatis Sancti Dominici Regentem pro tempore existentes nominandos, seu deputandos, et illorum votis juratis, se promoveri facere, illorumque solita insignia recipere, ac illius Doctores, et Magistri in dicta facultate, et illis non existentibus, Regens dictae Universitatis, vel Episcopus Sancti Dominici pro tempore existentes, eosdem Scholares ad dictos gradus promoveré, illorumque solita insignia sibi impendere, necnon quoties opus fuerit Lectores illuc conducere, sibi que lectores assignare, et de salariis

competentibus, dummodo ad hoc facultates suppetant, providere, ac statuta et ordinationes desuper ad instar Universitatum praedictarum condere, illa-que mutare, corrigere, et reformare, aliaque in praemissis, et circa ea necessaria, et opportuna, prout eis videbitur, facere possint, statuere, et ordinare, aliasque super his opportune providere de benignitate Apostolica dignemur. Nos Provincialem, Priorem, et Fratres, praefatos, et eorum singulos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicat;onibus, suspensionibus et Interdictis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad affectum praesentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore consentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, in eadem Civitate unam sibiilem Universitatem Doctorum, Magistrorum, et Scholarium ad instar dictae Universitatis de Alcala, quae per unum Regentem, seu Rectorem nuncupandum regi, et gubernari debeat, Apostolica auctoritate praefata tenore praesentium, crigimus, et instituimus, cuodque illius Scholares tam saeculares, quam Ordinum quorumcunque Regulares, undecunque venientes, inibi in quacunque licita tam, in, literarum facultate, eorum cursibus peractis, aliasque servatis servandis, prout moris est in Universitatibus praedictis, ad Baccalaureatus, et Licentiae, ac Doctoratus, et Magisterii Gradus hujusmodi praevio tamen debito examine, et assistentibus ibidem in eadem facultate quatuor Doctoribus, per Priorem, ac dictae Universitatis Sancti Dominici Regentem, praefatos, pro tempore, nominatis, seu deputatis, et illorum votis iuratis se promoveré facere, illorumque solita insignia recipere necnon Doctores, et illis non existentibus Regens, vel Episcopus Sancti Dominici praefati eosdem scholares, ad dictos Gradus promoveré, illorumque solita insignia sibi impendere, ac quoties Opus fuerit, illuc lectores conducere, sibi que lecciones assignare, ac de salariis competentibus, dummodo ipsorum Universitatis Sancti Dominici facultates suppetant, providere; necnon statuta, et ordinationes desuper ad instar universitatum praedictarum condere, illaque mutare, corrigere, et reformare, aliaque in praemissis, et circa ea necessario et opportuna, prout eis videbitur, facere libere, et licite possint, et valcant, auctoritate, et tenore praedictis, statuimus, et ordinamus; et insuper quibusvis Baccalaureis, Licentiatibus, Doctoribus et Magistris in ipsa Universitate Sancti Dominici ad dictos gradus respective pro tempore promotis, quod omnibus et singulis privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus,

favoribus et gratiis, quibus tam in de Alcala, quam Salmanticensi, seu alia quacunquē dictorum Regnorum Universitate, iuxta illius ritus, et mores, ad singulos Gradus praedictos respective promoti utuntur, potiuntur, et gaudent, seu uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, et gaudere, similiter libere, et licite valeant, auctoritate, et tenore praemissis concedimus, et indulgemus. Non obstantibus Apostolicis, ac in Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, privilegias quoque, indultis, et litteris Apostolicis Universitatibus Regnorum hujusmodi, et illarum singulis, sub quacunquē verborum forma, etiam motu proprio, concessis, confirmatis, et innovatis, ac Regnorum eorundem Pragmaticis sanctionibus, et statutis municipalibus, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis: quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expresa, et individua, non autem per clausuras generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut exquisita forma servanda foret, et in eis caveatur expressè, quod illis nullatenus derogari possint, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus pro sufficienter expressis, ac modis, et formis ad id servandos pro individuo servatis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrarias quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, erectionis, institutionis, stituti, ordinationis, concessionis, indulti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentate praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli, Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datus Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Quingentesimo Trigesimo Octavo, quinto Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno quarto. El original se ha perdido. Se conserva el fiat autógrafo del papa a la súplica de los dominicos (AVR: Reg. Suppl., n. 2304, fol. 199. Facs.: BELTRÁN DE HEREDIA, La autenticidad de la bula "In apostulatus culmine" base de la Universidad de Santo Domingo, puesta fuera de discusión, 1955, entre págs. 40 y 41. Ed.: BELTRÁN DE HEREDIA, 1. c., págs. 41-43). La referencia, resumen, partida o registro de la bula figura en el inventario de bulas perpetuas de Paulo III (AVR: Indices o Rubricellac, n. 369, fol. 65. Facs.: BELTRÁN DE HEREDIA, 1. c., entre págs. 16 y 17. Ed.: BELTRÁN DE HEREDIA, 1. C., pág. 17). Del texto de la bula existen copias en AOPR, AUDS y AGI (Santo Domingo, leg. 66), facsímiles,

ediciones y traducciones, a lo que me refiero en el ID, n. 4, de Historia de las universidades hispanoamericanas, II, 1973, 242-244. Algunas ediciones: Bulzarium Ordinis FF. Praedicatorum, IV, fols. 571-572, de donde he tomado el texto; MAZA, DIEGO DE LA, Memorial; Colección de bulas, breves..., de HERNÁNDEZ, II, 1879, 438-439; Anales de la Universidad de Santo Domingo, V (1941) 228-232; La bula In apostolatus culmine, del papa Paulo III..., 1944, 35-39; BELTRÁN DE HEREDIA, La autenticidad de la bula..., 1955, 45-48; Ajo, CUH, II, 1958, n. CCLXXX; RODRÍGUEZ, ÁGUEDA M., OP, Historia de las universidades hispanoamericanas, II, 1973, 453-457. Entre las traducciones castellanas: BELTRÁN DE HEREDIA, I. c., 49-52.